

vocem Trinitatis, quod eandem quoque in sacris extare negarit, $\kappa\tau\iota$ & $\rho\eta\tau\acute{o}\nu$ & in abstracto.

8. *An vocabulum Sacramenti sit ἔγγραφον?*

Frustra hoc affirmat Bellarm. cum Biblia primitus non sint latine conscripta. Bellarm. ne causa cadat, illi æquipollere dicit vocem $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\nu$, quæ inveniatur, *Dan. 2, 18. 19. Apoc. 17, 7. 2. Theff. 2, 7. Eph. 5, 32.* Resp. *Dan 2, 27.* vox $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\iota\varsigma$ explicatur per rem arcanam, *Ap. 17, 7.* agitur de Antichristo, *2. Theff. 2, 7.* de secreta Antichristi iniquitate, *Eph. 5, 22.* de conjunctione Christi & Ecclesiæ. Sed quid hæc faciunt ad Sacramentum propriè sic dictum?

9. *An vocabulo Sacramenti uti liceat?*

Negant Calviniani: Objic. 1. Vocem non extare in sacris. 2. Socinianos & Anabaptistas hac voce offendi. 3. Pontificios illa abuti. Resp. (1.) Etiam Vox Personæ, Trinitatis &c. non extat in sacris. (2.) Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, *Rom. 3.* (3.) Etiam abutuntur voce mercedis, justificationis, &c.

10. *An vox Sacramenti denotet tantum externum Elementum?*

Neg. Contra Socinianos, quia Circumcisio est signum fœderis cum Deo, *Gen. 17, 7.* Baptismus, regeneratio à peccatis, *Tit. 3, 5.*

11. *Quales sint prædicationes Sacramentales?*

Non sunt Essentiales, nec Accidentales, nec Tropicæ, sed inusitata & Extraordinariæ, quia transcendunt omnes regulas Logicas, & ad illas non possunt reduci.

12. *An Genus Sacramenti sit signum?*

Dist. Inter appellationem rei ex officio, & definitionem ex essentia. Signum pertinet ad rei usum, & sic appellari possunt Sacramenta, non verò potest esse genus proprium.

13. *An Sacramenta sint tantum signa gratiæ?*

Neg. ex *Marc. 16, 16. Job. 3, 5. Rom. 6, 3. Tit. 3, 5.* Objic. Carol. Stadius. 1. Solum Deum salvare. 2. Liberos fidelium ante baptismum esse in fœdere Dei, *Gen. 17, 7.* 3. Quosdam liberos absoluto Dei iudicio reprobari. 4. Multos baptizatos non regenerari. Resp. (1.) Causa instrumentalis non est opponenda principali. (2.) Non actu, sed potentia, & jus habent ad rem, non verò, ut sunt in peccatis jam nati, in re. (3.) Falsum, ut hoc docuimus in L. de Prædestinatione. (4.) Fit hoc propria ipsorum culpa, quia sc. Sp. S. obicem ponunt, & valet in adultis.

14. *Al-*